



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE BEATI PAUPERES VENERABILI SERVO DEI PETRO CASANI BEATORUM HONORES DECERNUNTUR** Ad perpetuam rei memoriam. – «Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum» (*Mt* 5, 3): secundum hanc supremam evangelicae perfectionis formam Venerabilis Servus Dei Petrus Casani totam vitam gessit, quam per religiosam professionem Deo sacravit eamque in sacerdotali ministerio insumpsit, praesertim in utilitatem puerorum indigentium. Separatio a mundo atque ab eius illecebris, quam ille iugiter servavit quamque externis quoque signis patefecit et praecipue per cognomen «Pauperem» sibi inditum, effecit ut altissimum cum Deo coniunctionis gradum attingeret, dum simul validissimam coluit spem in Providentia, altam dilectionem erga Crucem et Virginem Mariam, atque ferventissimam erga proximum caritatem. Servus Dei natus est die VIII mensis Septembris anno MDLXXII Lucae, e familia religiosi principii imbuta. Post intempestivum matris obitum, eximiis humanis propositis praeditus et studio ductus aliquid praebendi subsidii societati et Ecclesiae reformandis, anno MDXCIV vitam religiosam amplexus est inter «Presbyteros Reformatos Beatae Virginis Mariae» quorum Institutum ante viginti annos a sancto Ioanne Leonardi conditum erat. Inexhausto impellebatur studio ad perfectiores usque formas quaerendas, quibus Deo servire posset nec non in semetipso divina adimplere consilia. «Tribuat mihi Dominus spiritum et lumen, ut eius voluntati obsequi possim in omnibus quae Superiores mihi velint concedere»: hac quidem inspiratus cogitatione, mense Ianuario anno MDCXIV novam et severiorem incohabitavit vitae religiosae experientiam inter sodales Scholarum Piarum, ac deinde anno MDCXVII simul cum Iosepho Calasanctio, cuius vestigia persequebatur, amore inflammatus «sanctae, summae et evangelicae Paupertatis», apostolatus caritatis omnino se dedit ut Christo serviret in pueris indigentibus «sive ad pietatem sive ad litteras» instituendis et educandis. Oratio cardo exstitit ipsius spiritualitatis et apostolatus. Petrus omnia cum Deo per orationem communicabat. Oratio in eo perenne fuit donum laudis Deo, gratiarum actio, filialis fiducia, immo supplicatio, qua pro humana debilitate divinum implorabat auxilium. Praeterea oratio valido fuit illi praesidio ad superanda discrimina quae, extremo eius vitae decurrente decennio, operi Calasanctiano minabantur. Scripsit enim: «Omni humana amissa expectatione, nihil aliud nisi divinum auxilium exspectamus, quod numquam deest ei qui in Illo confidit». «Patientia et oratione plurima obtineri possunt»: haec sententia eius fuit firmissima persuasio, quoniam recte sentiebat «nullum aliud dari posse auxilium aut medicamen praeter orationem». Hanc transcendentiae profundaeque fidei mensuram prae oculis iugiter habuit, in diversis apostolatus operibus ad Scholas Pias diffundendas varias per urbes Italiae (Narniam, Genuam, Savonem, Messanam, Neapolim) et per mediam Europam (Nikolsburgum, Straznitz - hodiernam Rempublicam Cecam), ad eius usque transitum, qui die XVII mensis Octobris anno MDCXLVII Romae apud domum sancti Pantaleonis factus est, cui ipse Iosephus Calasanctius nonagenarius astitit. «Quiescamus et oremus», scriptum legimus apud sepulcrum quo reliquiae conduntur in templo sancto Pantaleoni dicato: idem nuntius est quem ille hominibus nostrae aetatis transmittere pergit. Sanctitatis fama, quam Venerabilis Dei Servus vivens est adeptus, post eius obitum continuavit, quam ob rem Causa Beatificationis et Canonizationis anno MCMV est inchoata, atque die XXII mensis Ianuarii anno MCMXCI Nobis coram Decretum prodiit de Servi Dei virtutibus heroum in modum

exercitis. Interea, servatis de iure servandis, inquisitio peracta est de quadam mira patrata sanatione in oppido Szeged, in Hungaria, intercessioni eius adscripta. Eventu apud Congregationem de Causis Sanctorum feliciter pervestigato, die XV mensis Decembris anno MCMXCIV decretum super miro evulgatum est. Quapropter statuimus ut beatifications ritus Romae ageretur die I mensis Octobris anno MCMXCV. Hodie idcirco in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia formulam hanc protulimus: Nos, vota Fratrum Nostrorum Antonii Angeli Algora Hernando, Episcopi Terulensis et Albarracinensis, Francisci Alvarez Martínez, Archiepiscopi Toletani, Iacobi David, Episcopi Rupellensis, Raimundi Malla Call, Episcopi Ilerdensis, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, Raphaelis Torija de la Fuente, Episcopi Civitatis Regalensis, Augustini García-Gasco Vicente, Archiepiscopi Valentini, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Anselmus Polanco et Philippus Ripoll, Petrus Ruiz de los Paños y Angel et octo Socii, Ioannes Baptista Souzy et sexaginta tres Socii, Dionysius Pamplona et duodecim Socii, Petrus Casani, Carolus Eraña, Fidelis Fuidio et Iesus Hita, Angela a Sancto Ioseph Lloret Martí et sedecim Sociae et Vincentius Vilar David Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum: Anselmi Polanco et Philippi Ripoll die septima Februarii; Petri Ruiz de los Paños y Angel et octo Sociorum die vicesima tertia Iulii; Ioannis Baptistae Souzy et sexaginta trium Sociorum die decima octava Augusti; Dionysii Pamplona et duodecim Sociorum die vicesima secunda Septembris; Petri Casani die decima sexta Octobris; Caroli Eraña, Fidelis Fuidio et Iesus Hita die decima octava Septembris; Angelae a Sancto Ioseph Lloret Martí et sedecim Sociarum die vicesima Novembris; et Vincentii Vilar David die decima quarta Februarii in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Octobris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.* ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status* © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana